

T H E C H A R T E R

omnibus quos eadem aliquo modo tangunt seu tangere possint publicè innotescere Quas quidem Ordinationes infra dictam PROVINCIAM inviolabiliter observari VOLEMUS sub Pænis in eisdem exprimendis ITA quod eadem Ordinationes sint Rationi consonæ et non sint repugnantes nec contrariæ sed (quoad convenienter fieri potest) consentaneæ Legibus Statutis aut Juribus Regni nostri *Angliæ* Et ITA Quod eadem Ordinationes se non extendant ad Jus vel interesse alicujus Personæ sive aliquarum Personarum de aut in Membro Vitâ libero Tenemento Bonis seu Catallis aliquo modo astringendum ligandum onerandum seu tollendum.

IX. PORRO ut nova Colonia Populi eadem confluentis Multitudine sælicius crescat pariter et à Barbarorum aliorumve Hostium Piratorum et Prædonum Incurfibus firmiter muniatur IDCIRCO NOS pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris omnibus Hominibus et Subditis nostris Hæredum et Successorum nostrorum Ligeis præsentibus et futuris nisi quibus id specialiter fuerit interdictum Se Familiasque suas ad dictam PROVINCIAM cum idoneis Navigiis et Commeatu congruo transferendi Sedesque suas ibidem collocandi incolendi et inhabitandi Castraque et Castella seu alia Fortalitia ad præfati modo Baronis de *BALTIMORE* et Hæredum suorum Arbitrium pro Defensione Publicâ et suâ exstruendi et muniendi Facultatem Licentiam et Libertatem damus et concedimus per Præsentis Statuto de Fugitivis vel aliis quibuscunque in contrarium Præmissorum in aliquo non obstantibus.

X. VOLUMUS etiam et ex uberiori Gratiâ nostrâ pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris firmiter præcipimus constituimus ordinamus et mandamus quod dicta PROVINCIA de nostrâ Ligeanciâ sit quodque omnes et singuli Subditi ac Ligei nostri Hæredum et Successorum nostrorum in præfatum PROVINCIAM deducti vel deducendi ipsorum et aliorum de ipsis deducendum Liberi ibidem seu jam nati seu imposterum nascendi sint et erunt Indigenæ et Ligei nostri Hæredum et Successorum nostrorum Regni nostri *Angliæ* et *Hiberniæ* Ac in omnibus teneantur tractentur reputentur et habeantur tanquam fideles Ligei nostri ac Hæredum et Successorum nostrorum infra Regnum nostrum *Angliæ* oriundi Nec non Terras Tenementa Reventiones Servitia et alia Hæreditamenta quæcunque infra Regnum nostrum *Angliæ* ac alia Domina nostra hæreditare seu aliter perquirere recipere capere habere tenere emere et possidere ac eis uti et gaudere eaque dare vendere alienare et legare Ac etiam omnia Privilegia Franchefias et Libertates hujus Regni nostri *Angliæ* liberè quietè et pacificè habere et possidere eisque uti et gaudere possint tanquam Ligei nostri infra dictum Regnum nostrum *Angliæ* nati seu oriundi absque Impedimento Molestatione Vexatione Impetitione sive Gravamine NOSTRI Hæredum vel Successorum nostrorum quorumcunque aliquo Statuto Actu Ordinatione seu Provisione in contrarium inde non obstante.

XI. PRÆTEREA ut Subditi nostri ad Expeditionem hanc prompto et alacri Animo suscipiendam incitentur SCIATIS quod NOS de Gratiâ nostrâ speciali ex certa Scientiâ et mero Motu nostris tam præfato modo Baroni de *BALTIMORE* et Hæredibus suis quam aliis omnibus de Tempore in Tempus habitandi vel cum Incolis PROVINCIAE prædictæ commercium habendi Causâ in PROVINCIAM illam profecturis omnia et singula sua Bona tam mobilia quam immobilia Merces et Mercimonia Annonam etiam Generis cujuscunque aliaque ad Victum et Vestitum necessaria quæcunque per Leges et Statuta Regnorum et Dominiorum nostrorum extra eadem Regna deportari non prohibita in quibuscunque Portibus nostris Hæredum et Successorum nostrorum in Naves imponendi et onerandi et in dictam PROVINCIAM per se vel Servos aut Assignatos